

5. *Cum tempore.*—Ecclesia exempta non potest in præjudicium exemptionis compromittere.

6. *Cum dilectus.*—Arbiter non habet potestatem judicandi ultra comprehensa in compromisso, ideo coram eo non fit reconventio.

7. *Cum olim.*—Qui per arbitrium tenetur eligere cum aliquorum consilio, tenetur illorum consilium in tractatu electionis requirere, sed sequi non adstringitur.

8. *Contingit.*—De rebus spiritualibus in laicum compromitti non potest.

9. *Per tuas.*—Auctoritate Judicis etiam delegati potest de causa spirituali in clericum, et laicum compromitti. Et si arbitrium est à partibus receptum, debet executioni mandari; licet per generalem procuratorem factum fuerit compromissum. Si autem non fuit arbitrium approbatum, et pœna fuit apposta, agitur ad pœnam, alias ad interesse.

10. *Ex parte.*—Si per duos Electos ad eandem Prælaturam in discordia compromittitur in ordinarium, morte alterius compromittentium expirat compromissum: ordinarius tamen ex potestate ordinaria procedit super jure superstitis, antequam fiat transitus ad aliam electionem.

11. *Exposita.*—Arbiter post rem judicatam super discordiis novis assumptus, non potest per suum arbitrium sententiam immutare, etiamsi de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa.

12. *Innotuit.*—Non valet compromissum factum in duos, sive plures, hoc adjecto, ut in casu discordiæ eligatur tertius per eosdem, vel alios.

13. *Cum à nobis.*—Valet compromissum factum in unum, vel in plures, ut ipsi per se causam definiant, vel per alios, quos ipsi elegerint.

14. *Compromissum.*—Compromissum ante sententiam latam finitur morte alterius compromittentium; unde non transit in hæredes compromittentium, nisi de eis sit cautum in compromisso.

IN SEXTO—Ibi tit. XXII.

Cap. 1. *Si ex tribus.*—Si ex tribus arbitris duo concordant in summa, tenet eorum sententia: si omnes discordant, tenet sententia de summa minori.

2. *Ut questionibus.*—Si ex tribus arbitris unus nolit examinando, vel definiendo negotio interesse, duo procedere poterunt, ac si ille præsens esset. Circa judices autem antiqua jura servantur.

- | | |
|--|--|
| 5 Idem Ab. et Convent de Pigavia. | 11 Idem Electo et Ab. S. Zenon, et Constantin. Canon. Veron. |
| 6 Idem. Priori S. Andr. Ab. de Berth. T. Priori. Archid. et Magistr. A. Official. S. Andr. | 12 Greg. IX Decano. et Magist. P. Canon. S. Petri Atrebat. Dioc. |
| 7 Idem Rectori, et Fratrib. Hospital. S. Barthol. Lucani. | 13 Idem Abbatiss. et Convent. Joretren. |
| 8 Idem. in Conc. gen. Later. | 14 Idem. |
| 9 Idem Pisan. Archiep. | 1 Boniff. VIII. |
| 10 Honor. Archiep. Colon. | 2 Idem. |

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.—DE JUDICIIS.

Cap. 1. *De quovulteo.*—Contumax in non comparendo vel non respondendo, excommunicari potest; beneficio autem privari non debet.

2. *Decernimus.*—Laici ecclesiastica negotia tractare non debent, sed Prælatorum judicio disponuntur.

3. *Quando.*—Causa jurispatronatus spectat ad judicium Ecclesiæ.

4. *Etsi.*—Clericum convictum, et confessum de crimine coram Judice sæculari, ex eo non punit Episcopus: sed coram se convictum, vel confessum punit pœna debita, nisi cum illo dispenset, quod potest in adulterio, et minoribus; depositum verò non statim tradit Curia sæculari.—In adulterio, et minoribus potest cum clericis, peracta pœnitentia, Episcopus dispensare; non quemlibet autem depositum pro suis excessibus tradit Curia sæculari.

5. *Ceterum.*—Vasallus coram domino feudi conveniendus est, etiamsi dominus feudi sit clericus, dummodo actor possit suam justitiam consequi, alias loci Ordinarius poterit adiri.—Vide notata infra cap. *Si quis I. de for. compet.*

6. *Dilecti.*—Nomen actionis in libello exprimere pars non cogitur, debet tamen factum ita clarè proponere, ut ex eo jus agendi colligatur.

7. *Intelleximus.*—Excommunicatus in judicio, nisi tamquam reus stare non potest.

8. *Clerici.*—Clericus de omni crimine debet coram ecclesiastico judice conveniri, nec valet consuetudo contraria.

9. *Causam.*—Judex ex officio providere debet, ut debita solemnitates servantur in judiciis, quibus omissis, judicium redditur frustratorium.

10. *Cum non.*—Clericus depositus incorrigibilis excommunicandus est, et successivè anathematizandus; et si sic non respuerit, per judicem sæcularem comprimendus est.—Intellige postquam ei traditum est à Judice ecclesiastico.

11. *Quia.*—Per rescriptum impetratum contra violentum occupatorem convenitur qui scienter succedit in vitium.

12. *Cum venissent.*—Solutus Papa cognoscit de dubiis privilegiorum Apostolicæ Sedis, et non inferior.

- | | |
|---------------------------------------|--|
| 1 Ex Conc. Afric. | 8 Luc. III. Strigon. Archiep. |
| 2 Ex Synodo Rhemen. | 9 Clem. III. R. Wigor. Ep. et Abb. de Eveshan. |
| 3 Alex III. Henr. II. Reg. Angl. | 10 Cœlest. III. Bruadus. Ep. |
| 4 Idem Saler. Archiep. | 11 Idem Windon. Episc. |
| 5 Idem Rom. | 12 Innoc. III. S. Serg. et S. Georg. Ab. et Cantori Andegav. |
| 6 Idem Exon. Episc. et Decan. Londin. | |
| 7 Idem Paduan. Episc. | |

13. *Novit ille.*—Judex ecclesiasticus potest de via denuntiationis evangelicæ, seu judicialis procedere contra quemlibet peccatorem etiam laicum, maximè ratione perjurii, vel pacis fractæ.

14. *Pastoralis.*—Principalis persona per se, non per advocatum debet factum proponere in judicio, nisi sit indiscreta: adveccatus enim proponere debet jus, quod oritur ex facto.

15. *Examinata.*—Si actio et intentio sunt ineptæ, vel sola intentio, debet reus absolvi ab instantia judicii: iterùm tamen actor audietur, si aptè egerit.

16. *Cùm deputati.*—Præceptores templi pro domibus suis agere et defendere possunt, nec obstat eis Religio, vel quod ignota sit eorum origo.

17. *Qualiter.*—Prælati debent laicis de clericis, appellatione frustratoria non obstante, justitiam facere: ad sæculare tamen forum clerici à laicis trahi non debent, etiam data ipsorum Prælatorum negligentia.— Et excommunicationem incurrunt Papæ reservatam ex Bulla Cænæ cap. 44. 45. et 46., ac vide innovationem Elencho IV. num. 7. "

18. *Causam.*—Judex habens ut privatus penè consimilem causam, quam habet ut judex, à judicando removetur.

19. *Exhibita.*—Si Judices de principali, et exceptionibus præjudicialibus simul cognoscunt, vel super principali lite non contestata testes recipiunt, licitè ab eis appellatur.

20. *Venerabilis.*—Lapsu triennii non obstante, potest delegatus in causa sibi commissa procedere.— Vide correctionem Elencho II n. 48. "

21. *Significaverunt.*—Actor obtinens in possessorio coràm Judice rei, non tenetur coràm eo Judice super proprietate respondere, si est prorsus alterius fori.

IN SEXTO.

Cap. 1. *Juris.*—Judex delegatus non habens ad hoc speciale mandatum à Papa, non potest compellere partem, ut personaliter coràm eo compareat, nisi ex rationabili causa.

2. *Mulieres.*—Mulieres personaliter ad iudicium, quacumque causa in jure non expressa, invitæ trahendæ non sunt: sed si necessarium sit ipsarum testimonium, in causa Judex expensis producentis interdum ibit, interdum mittet, et Judex fraudulenter vadens, excommunicatus est. Mulieres religiosæ etiam volentes, extra monasterium suum ex aliqua causa personaliter ad iudicium trahi non possunt; quod contra prædicta fit est irritum.— Excommunicatio ista non est reservata. "

15 Idem Archiep. et Episc. per Franc. constit.	Rhem. et Decan. Bunien. Colon. Dioc.
14 Idem Episc. Elie.	20 Idem Magistr. Taxer. Canon. Bonon.
15 Idem Mattæo de Rivaria.	
16 Idem Magistr. et Fratrib. militia Templi in Ital. const.	21 Idem Episc. Magistr. Tancred. Bonon. et Bond. de Praten. Bonon. commor. Canon.
17 Idem Vereell. Episc. et Ab. de Tileto.	1 Innoc. IV. in Conc. Lugdun.
18 Idem.	2 Bonif. VIII.
19 Hor III Abb. S. Martini Archid.	

3. *Si annum.*—Major 14 annis per se et per procuratorem potest agere et defendere causam spiritualem: minor 14 per se non agit, sed per procuratorem, vel per curatorem datum auctoritate ordinarii ecclesiastici Judicis, et etiam delegati dati ad causas illas. Filiusfamilias sine patris assensu agit causam spiritualem.

IN CLEMENTINIS.

Cap. 1. *Dudum.*—Constitutio Bonifacii, quæ habet, quod citationes etiam extra dies solemnes publicæ factæ de mandato Papæ, in audientia litterarum Apostolicarum, vel papali palatio affixæ januis majoris Ecclesiæ loci, in quo Papa cum Curia sua degit, aretent citatum, ac si ad eum personaliter devenissent, restringitur ad eos, qui impediunt, ne ad eos possit citatio pervenire, vel quorum domicilium tutè non potest adiri.

2. *Dispendiosam.*—In causis etiam pendentibus, beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, et usurarum, et ipsas tangentibus procedi potest simpliciter et de plano, absque judiciorum strepitu et figura.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

Cap. unic. *Frequentes.*—Decretalem *super Cathedram* in Clement. 4. per c. *Dudum* innovatam jubet observari: neque propter illam debent Religiosi mendicantes esse molesti et graves Prælatis, neque Prælati ipsis Religiosis. Et si sint aliquæ injuriæ, vel molestationes hinc inde factæ, Papa vult justitiæ complementum breviter exhiberi, summarè, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura judicii; vel aliter, prout qualitas excessuum exigit, non obstantibus quibuscumque obstaculis, quæ possent his obviare.

TIT. II.—DE FORO COMPETENTI.

Cap. 1. *Si quis.*—Clericus coràm suo Episcopo conveniri debet. Circa prorogationem jurisdictionis, de qua in textu, vide Elencho I. n. 14.—Quando controversia contra clericum est de feudo, dic ut in capp. 6 et 7. infra. "

2. *Nullus.*—Judex sæcularis si clericum per se dstringit vel condemnat, excommunicari debet.— Hodie ex Bulla Cænæ est ipso jure excommunicatus, sive agatur de causis civilibus, sive de criminalibus; et sub nomine clerici venit etiam initiatus prima tonsura, Trid. sess. 23. cap. 6. de ref., servatis conditionibus ibi appositis.

3. *Sanè.*—Ratione rei, de qua agitur, sortitur quis forum ibi, ubi res est.

4. *Si quis.*—Episcopus ut suspectus recusatus, de cujus suspicione

5 Idem.	2 Ex Conc. Parisien. juxta Burchard. an. 431.
1 Clem. V. in Conc. Vien.	5 Ex Conc. Afric. an. 402.
2 Idem.	4 Greg. I. Bonif. defensori Corsicæ. Hoc cap. apud Gonzal. incipit: <i>Experientia.</i>
U. Jean. XXII.	
1 Ex Conc. Chalced. an. 453.	

notoriè constat, potest dare delegatum patribus non suspectum, cujus sententiam poterit per se executioni mandare.

5. *Si Clericus.*—Super re Ecclesiæ vel clerici potest laicus coram ecclesiastico Judice conveniri: sed si probabiliter negat rem esse Ecclesiæ, vel clerici ad jurisdictionem ecclesiasticam declinandam, convenitur coram suo Judice.

6. *Ex transmissa.*—Si quæstio feudalis est inter clericum et laicum, cognoscat dominus feudi: sed eo negligente cognoscat Delegatus Papæ, etiam ante negligentiam datus.

7. *Verum.*—Per dominum feudi sæcularem, sive ecclesiasticum, quæstio feudalis terminari debet, etiam si vasalli sint clerici: et si plures præstantur domini, non potest unus cognoscere, maximè alio absente, an feudum ad eum pertineat.

8. *Cùm sit.*—Malefactores Ecclesiarum in utroque foro conveniri possunt.

9. *Quod clericis.*—Causæ clericorum secundum jura, non secundum consuetudines laicorum terminentur.

10. *Licet.*—Laicus laicum super re civili coram Judice ecclesiastico convenire non potest, nisi in defectu Judicis sæcularis, vel nisi consuetudo id exposcat.

11. *Ex tenore.*—Vidua laicum coram Judice ecclesiastico convenire non potest, nisi super causa ecclesiastica, vel in defectum Judicis sæcularis.

12. *Si diligenti.*—Clericus non potest constituere sibi Judicem laicum, etiamsi proprium juramentum, et adversarii consensus accedat.

13. *Cùm contingat.*—Clerici super excessibus coram suo Episcopo conveniri debent, non coram iis, quibus serviunt, nisi consuetudo, vel privilegium aliud inducat.

14. *Postulasti.*—Episcopus delicti condemnat clericum de delicto, sed non privat beneficio alibi existente: sed Episcopus beneficii privabit quasi exequendo condemnationem Judicis delicti. Vel sic: Episcopus delicti, privando beneficio alibi sito, sed executio realis fit ab Episcopo beneficii.

15. *Ex parte.*—Miserabilis persona potest laicum interdicto *Unde vi*, coram Judice ecclesiastico convenire, etiam si res subtracta dicatur feudalis.—Vide correctionem Elencho I. n. 45. "

16. *Conquestus.*—Laici usurpantes jura ecclesiastica velut sacrilegi, per Judicem ecclesiasticum compelluntur.—Cum ex textu inferatur cog-

5 Alex. III. Episc. Genuen.

6 Idem Senon. Archiep.

7 Idem.

8 Luc. 5.

9 Celest. III. Paris. Episc.

10 Innoc. III. Vercell. Episc.

11 Idem Archid. et B. Cælerar. Turon I, juxta Cujac.

12 Idem Pisan. Archiep.

13 Idem Belluac. Episc.

14 Idem Selesvicen. Ep. juxta Gonzal, sed juxta Cujac. Silvaneten.

15 Honor. III. Archiep. et Archid. Turon.

16 Greg IX. Fratri Palmerio S. Trin.

nitionem causæ delegari posse cuicumque personæ, vide correctionem Elencho I. n. 46.

17. *Dilecti.*—Privilegiatus non tenetur respondere, nisi in certo loco: si in alio loco respondere, vel solvere promittit, ibi poterit conveniri, et etiam ubi habet domicilium.

18. *Significasti.*—Quamquam laici possint jurisdictionem non sui judicis prorogare, clerici tamen non possunt, nisi Episcopi diæcesani consensus accedat, et Judex, cujus jurisdictionem prorogare volunt, isit ecclesiasticus.

19. *Proposuisti.*—Legitimè citatus tenetur coram Judice citante causam prosequi, non obstante, quod post citationem mutaverit forum.

20. *Licet.*—Quisque clericus potest in Curia Romana conveniri, licet alias pacificè ibi forum non sortiatur: habet tamen ex causa jus revocandi domum.—Vide Cap. *Divina* 3. de privil. in extr. com. "

IN SEXTO.

Cap. 4. *Romana.*—Archiepiscopus, omisso appellationis articulo, vel per viam querelæ, de causa subditorum suffraganeis, etiam ipsis consentientibus, non cognoscit.—Archiepiscopus subditos suffraganei non potest compellere causas delegatas ab eo suscipere, suas sententias et præcepta exequi, vel testimonia in causis ad eos devolutis ferre, nisi consuetudo aliud disponat.—Archiepiscopus contra officiales, vel Prælatos suffraganeorum, consuetudine aliud non disponente, et contra subditos ipsorum, pro salariis advocatorum, et procuratorum causarum fori Archiepiscopi, Judex competens non est.—Archiepiscopus non compellit invitos contractentes aliarum diæcesum in sua propria coram se respondere, nisi ibi inveniuntur. Sed si citati nolunt comparere, vel malitiosè se occultant, ne citentur, in bonis ipsorum suæ diæcesis potest missionem facere, vel in alia decernere per ordinarios faciendam.—Non potest Archiepiscopus suos clericos mittere in diæcesim suffraganei, ut coram eis fiant contractus, vel jam facti approbentur; nec si facti, vel approbati fuerint coram illis, possunt suffraganeorum subditos coram se compellere litigare super illis: nec excommunicare suffraganeorum officiales vel subditos, si nolunt litigare coram ipso.

2. *Sæculares.*—Judex sæcularis, qui vult clericum compellere ad debita, etiam liquida solvenda, per ecclesiasticum Judicem desistere compellatur.

3. *Cum C. laicus.*—Ratione juramenti, laicus, ut illud servet, coram Judice ecclesiastico convenitur.

IN CLEMENTINIS.

Cap. unic. *Quamvis.*—Concedit Concilium certo casu Episcopis expulsis à suis sedibus, quod in locis aliarum diæcesum, servata forma, quam

17 Idem Ep. Dulmen.

18 Idem Ab. Treccen-

19 Idem.

20 Idem.

1 Innoc. IV.

2 Bonif. VIII.

3 Idem.

U. Clem. V. in Conc. Vien.

limitat, possint procedere contra expulsores, consiliarios et fautores, et inter subditos jus dicere.

TIT. III.—DE LIBELLI OBLATIONE.

Cap. 1. *Hincmarus*.—Actor tenetur in scriptis libellum porrigere. Vel sic: Judex non debet admittere actorem ad litigandum, nisi prius ei libellum in scriptis afferat.— In causis tamen summaris, ubi sine strepitu et figura iudicii proceditur, non est necessaria libelli solemnitas c. *Sape de verb. signif.*—Nec obstat c. *Cum dilectus* 2. de ord. cognit., ubi admittitur libellus sine specifica rei petitæ expressione, quia ex integra hujus textus narratione ostendit Gonzalez omnia expressa fuisse.—Nota, quod hoc cap. in decretal. Greg. IX. incipit *Ignarus*, sed mendosè, cum legendum sit: *Hincmarus*, qui cum ex Monacho benedictino electus fuerit Archiep. Rhemensis, præfuit dicto Conc. provinciali celebrato an. 853. in Urbe Suesione.

2. *Significantibus*.—Cum agitur actione reali, non sufficit rem generaliter peti, sed debet ita specificari, ut evitetur obscuritas et æquivocatio.

3. *Dilecti*.—Non tenetur reus respondere libello in actione personali, si non expremitur causa petendi.

TIT. IV.—DE MUTUIS PETITIONIBUS.

Cap. 1. *Ex litteris*.—Judex etiam delegatus, compellit actorem ad respondendum reo in causa reconventionis; et utramque causam ordine successivo simul audiet, et una sententia terminabit.

2. *Prudentiam*.—Modus procedendi datus per rescriptum in causa conventionis, intelligitur repetitus in causa reconventionis.

TIT. V.—DE LITIS CONTESTATIONE.

Cap. unic. *Olim*.—Non per positiones et responsiones, sed per petitionem in jure propositam, et responsionem sequutam fit litis contestatio, qua omnia, nullus est processus.

IN SEXTO.—Ibi tit. III.

Cap. 1. *Exceptionis*.—Peremptoria litis contestationem non impedit, nisi sit de re semel finita.

2. *Si ablato*.—Per exceptionem peremptoriam non fit litis contestatio.

- 1 Ex Conc. apud S. Medardum
2 Innoc. III. Magistr. G. Archid. et Wilto Normando. et G. De Grethes Canon. Snession.
3 Gregor. IX. Archiep. Novæ, et M. Canon. Cuman.

- 1 Alex. III. Volter. Episc. et Ab. de Spongia.
2 Celest. II. Rhotom. Docav.
U. Greg. IX. Ab. S. Jo. Vonot.
1 Innoc. IV. in Conc. Lugd.
2 Bonif. VIII.

TIT. VI.—UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECETPIONEM, VEL AD SENTENCIAM DEFINITIVAM.

Cap. 1. *Ad hæc*.—Si agatur de adulterio ad separationem tori, et ante litis contestationem reus est contumax, potest excommunicari: sed testes recipi non possunt, nec causa definiri.

2. *Accedens*.—In causa restitutionis contra contumacem, lite non contestata, sententia proferri non potest.

3. *Tuæ fraternitatis*.—Si lite non contestata, reus est contumax, si fieri potest, mittitur actor in possessionem causa custodia: alias reus excommunicabitur.— Pro hujus Decretalis intellectu, in praxi vide magistralem explanationem in Gonzal.

4. *Accedens*.—Receptio testium facta contra non contumacem, lite non contestata, in causa matrimoniali est nulla.

5. *Quoniam*.—Lite non contestata, non recipiuntur testes regulariter super principali. Fallit cum timetur de morte vel absentia diuturna testium; tunc enim, servata solemnitate hic posita, possunt, etiam lite non contestata, testes examinari.—Cum agitur de matrimonio carnali, vel spiritali, possunt contra contumacem, etiam lite non contestata, testes recipi, et sententia definitiva ferri. Si verò reus est absens, sed non contumaciter, tunc in carnali non proceditur, sed expectatur absens. In spiritali verò, si agatur de contracto, stabitur juribus antiquis. Si de contrahendo, expectatur absens per sex menses. Sed de hoc ultimo, quando agitur de contrahendo, dic ut in c. *Quam* 6. et c. *Cupientes* de elect. in 6.—Ad perpetuam rei memoriam, vel cum agitur per viam inquisitionis, possunt testes sine litis contestatione recipi, et etiam publicari.—Si reus, lite non contestata, est contumax, et agitur actione personali, mittitur actor in possessionem rei petitæ causa custodia, quam tamen recuperat reus veniens intra annum, si offerat cautionem de stando juri, et restituat expensas. Post annum verò, his non servatis, non auditur, nisi super proprietate. Sed si convenitur actione reali, qui nomine alieno possidet, nominabit dominum in iudicio, et statuatur ei terminus, intra quem faciet dominum comparere; qui si intra terminum non venerit, Judex illum citabit, quo adhuc non veniente, Judex mittet actorem in possessionem veram. Si verò reus contumax convenitur actione personali, mittetur actor in possessionem bonorum ipsius rei pro modo debiti declarati; et primò mobilium, secundò immobilium, si mobilia non existant; vel excommunicabitur reus.— Nec obest cap. *Causam* 18. de rescr., ubi statuitur, ut parte citata, et non comparente, adhuc procedatur in causa secundum

- 1 Innoc. III. Ab. S. Proculi, et L.
2 Idem Hierosol. Patriar. et Archiep. Casareen.
3 Idem Brix. Ep.

- 4 Idem De Curia Dei et de elemosyn. Ab. Aurel. et Carnoten. Diac.
5 Idem.

juris ordinem, recipiantur testes, admittanturque probationes; quia in aliquibus casibus, quando pars est contumax, licet probationes recipere, et testes admittere, sed quantum à jure permissum est, ut innuitur in hac eadem Decretali §. *Porrò* et cap. *Per tuas* de appellat.—Nec cap. *Causam* 3. de dolo, et contum., ubi clarè habetur, lite non contestata, receptos fuisse testes, et definitivam sententiam prolatam; quia id accidit etiam ob contumaciam actoris, qua stante, id licet elapso anno juxta Novell. 442., et docet Cujac. in commentar. ad illum text. "

TIT. VII.—DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

Cap. 4. *Inhærentes*.—Clericus in causa Ecclesiæ suæ juramentum calumniæ potest alteri committere; et per se jurare non cogitur, nec debet sine superioris licentia.

2. *Litteras*.—In spiritualibus causis de calumnia non juratur.—Vide correctionem Elencho I. n. 47. "

3. *In pertractandis*.—Principalis persona non indistinctè relevatur ab onere jurandi de calumnia, licet compareat per æconomum, sed sibi, vel æconomus est deferendum, inspecta qualitate causæ et personarum.

4. *Imperatorum*.—Universitas tenetur jurare de calumnia, nisi relevet se constituendo æconomum.

5. *Ceterùm*.—Clerici etiam in eorum causis jurant de calumnia, contraria consuetudine non obstante.

6. *Cùm causam*.—Procurator, vel syndicus universitatis ecclesiasticæ, vel sæcularis de calumnia jurare potest.

7. *Cùm in causa*.—Episcopus jurat de calumnia, si per seipsum elegit litigare, propositis tantùm, non tactis Evangeliiis. Si verò per syndicum litigat, per illum poterit jurare.—Actor, refutando juramentum calumniæ sine causa cadere debet ab instituta actione: reus autem debet haberi pro confesso.

IN SEXTO —Ibi tit. IV.

Cap. 1. *Si de calumnia*.—Non est de substantia, quod statim post litem contestatam juretur de calumnia.—Non annullatur processus, licet tacite omittatur calumniæ juramentum.—Præcipit, quod in spiritualibus simul de calumnia et de veritate juretur.

2. *In appellationis*.—In causa appellationis jurari debet de calumnia, et veritate dicenda. Procurator deputatus post juramentum calumniæ, jurabit de calumnia.—Juramentum de calumnia est tantùm de credulitate; unde si aliud sit, non est perjurus, qui sic juravit. Idem est de juramento partis respondentis articulo *per non credit*, neque respondens confitetur,

- 1 Honor. II. Episc. Occidental.
2 Eugen. III. Arditiioni Rom. Eccl. Subdic. et Omnibono.
3 Idem.
4 Idem Magalon. et Aem. Uson. Episc.

- 5 Luc. III. Heliën. Episc. et nebid. Norwicen.
6 Innoc. III. Episc. placent.
7 Greg. IX. Episc. Bellovac.
1 Bonif. VIII.
2 Idem.

sed solum relevat adversarium ab onere probandi. "—Judex quoties sibi videtur, exigit juramentum malitiæ, etiam si de calumnia, vel veritate juratum sit.

3. *Nullam*.—Procurator habens speciale mandatum jurat de calumnia.

TIT. VIII.—DE DILATIONIBUS.

Cap. 1. *Dilecti*.—Citatio vocatoria cum peremptoria non debet esse nimis brevis, maximè ubi de rebus ecclesiasticis agitur, nisi necessitas aliud suggerat.

2. *Præterea*.—Induciæ deliberatoriæ denegantur reo, si per litteras citatorias plenè potuit instrui et deliberare super eo, de quo quaritur.

3. *Litteræ*.—Ex declaratione verbi generalis, vel ambigui positi in libello, novæ induciæ deliberatoriæ dandæ non sunt, si per expressa potuit reus deliberare super ambiguitate illa, vel generalitate.

4. *Exposuit*.—Si citatus in causa ardua, de longinquo vocatur pro publica utilitate, etiam ad locum judicii, ita quod infra terminum citationis deliberare, et alia sibi necessaria ad comparandum explicare non potuit, in termino respondere non cogitur, si reperiatur in loco judicii, sed habebit novas inducias.—Obtinentes beneficium cessionis bonorum, aut dilationem quinquennalem ad solvendum tenentur causam expedire infra quatuor menses, non obstante beneficio cap. *Odoardus*, et cap. *Pervenit*, et constit. Clementis VII. *Cùm ex multorum. et cùm nuper*. Et Paulus III. Constitut. *Nota*, vetuit concedi per quoscumque Judices litteras moratorias, et dilatorias: ac Pius IV. constit. *Cupientes*, addidit penam in dolose obtinentes dictas alternativas, et dilaciones in fraudem creditorum. Imò ex constit. S. Pii V. *Postquam*, dolosi decoctores tam laici, quam ecclesiastici, Episcopis exceptis, luxu et impudentia rem alienam dilapidantes puniendi sunt ultimo supplicio. Ex constit. Innoc. VIII. *Quoniam*, debitores mercatoribus riparum et salinarum Romæ non possunt cedere bonis; nec debitores furnariorum Romæ, ex const. Julii III. *Cùm sicut*. Debita medicinalium quo modo, et quando solvenda sint in eadem Urbe sine dilacione, vide Constit. Gregorii XIII. *Cum officio*, §. 49. Vide notata infra lib. III. tit. 23. de solution. post cap. *Odoardus* 3. et additiones neque lib. I. tit. 19. post n. 477.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. II.

Cap. unic. *In delictorum*.—Falsorum florenorum fabricantes citantur peremptoriè, data dilacione trium mensium, intra quos coram Papa compareant, aliàs contra ipsos, eorum absentia non obstante, procedatur, prout justitia suadebit.

- 5 Idem.
1 Alex. III. Cantuar. et Wigorn. Ep.
2 Cælest. III.

- 3 Honor. III. Episc. Ferent.
4 Greg. IX. Ab. Aquævivæ Turon. Diac. Archid. Turon.
U. Joann. XXII.

TIT. IX.—DE FERIIS.

Cap. 1. *Omnes*.—Diebus dominicis mercari, litigari, judicari vel jurari non debet, sed de vespera in vesperam debent celebrari.— Circa mercatum, vide in additionibus meis hoc eod. tit. post n. 84. "

2. *Quoniam*.—Festorum principium et finis fieri debet secundum ipsorum magnitudinem, et consuetudinem regionis. In præcipuis festis, et intra Pasch., et Pentecostem non fit solemnitas genuum flexio. Si tamen tunc clerici, vel Episcopi ordinentur, secundum ordinationis modum genua flectuntur. Romana Ecclesia speciale festum de Trinitate non facit: servatur tamen de hoc cujusque Ecclesiæ consuetudo.

3. *Licet*.—Propter necessitatem alimentorum licet diebus feriatis in honorem Dei operi servili intendere, maximè circa rem tempore perituram.

4. *Capellanus*.—Tres septimanæ, quibus Canon prohibet fieri nuptias, ante festum Joannis Baptistæ, non continuantur festo, sed intelligitur de septimana Ascensionis, cum duabus sequentibus.— Vide moderationem Elencho II. n. 49.

5. *Conquestus*.—In feriis introductis in honorem Dei et Sanctorum, nisi ob necessitatem, vel pietatem, judicium exerceri non potest, etiam de consensu partium: feriis tamen introductis favore hominum partes renunciare possunt.— Hic numerantur dies feriati ad effectum non exercendi judicium, quos vide in textu. Hodie tamen, et quoad hunc effectum, et quoad præceptum Ecclesiæ attendenda est constit. Urbani VIII. *Universa* Idib. Sept. 1642, in qua adduntur aliæ festivitates. "

TIT. X.—DE ORDINE COGNITIONUM.

Cap. 1. *Intelleximus*.—Contra mulierem vendicantem aliquem in maritum admittitur exceptio consanguinitatis, quæ prius discutienda est, quam super matrimonio pronuncietur; et sufficit super ipso principali pronunciare.

2. *Cum dilectus*.—Si reus contra actorem spoliatores spoliationem opponit, aut excipiendo, et tunc prius auditur, et ea probata respondere non cogitur; sed per hoc non restituitur; aut agendo, et tunc simul utraque quæstio terminatur, et ea probata restituitur.

3. *Tuam*.—Petenti hæreditatem obstat exceptio natiuitatis, quæ prius debet coram ecclesiastico Judice terminari.— Hic erat prius coram Judice sæculari petita hæreditas, et exceptum fuit de illegitimitate. "

1 Ex Conc. apud Compendium in Gall. celeb. sub Greg.
2 Alex. III. Tribun. aut Turon. Archiep. aut juxta Gonzal et juxta Cuiac Lerdonen Ep
3 Idem Trever. Archiep. juxta Gonzal.

4 Clem. III.
5 Greg. IX.
1 Cœlest. III. Matr. Ep.
2 Innoc. III. Narn. Ep.
3 Honor. III. Ludov. Reg. Francor.

4. *Super*.—Agens possessorio recuperandæ non tenetur ante restitutionem suis spoliatoribus (nisi super quæstione spoliationis) respondere; potest tamen ab agendo repelli per exceptionem spoliationis.

TIT. XI.—DE PLUS PETITIONIBUS.

Cap. unic. *Consilium*.—Plus petens tempore litis, expensas refundit, et induciæ duplicantur: petens verò plus re, loco aut causa, in expensis condemnatur.

TIT. XII.—DE CAUSA POSSESSIONIS, ET PROPRIETATIS.

Cap. 1. *Susceptis*.—Causa possessionis, et proprietatis sub eodem iudice terminari debet; nec contra absentem est pronuntiandum.— Nec obscurat cap. *Cum olim* 12. de senten. et re judic., ubi Pontifex privavit beneficio absentem, et inauditum; quia ibi agebatur de beneficio notoriè subreptitiè obtento, quo ipsemet Pontifex adducit pro causa hujusmodi iudicii, ut Glos. ibi verb. *Absenti*.— Nec cap. *Cum Bertholdus* 18 eod. tit. ubi pariter Epis. Rhemen. protulit sententiam contra absentem, receptis tantum testibus, quia post instantem causam partes à Judicibus delegatis citatæ fuerunt ad comparandum præscripto tempore, ideoque una ex eis non comparente, licet sententiam in causa proferre, c. *Dudum* 22 de Elect. "

2. *Ad ultimum*.—Si actum est possessorio et petitorio, potest Judex, receptis probationibus super utraque, prius discutere probationes super possessorio, et illud terminare.

3. *Cum Ecclesia*.—Si spoliatus, possessorio et petitorio simul agens, possessionem et spoliationem probat, sed non dominium seu proprietatem, obtinet in possessorio; sed succumbet in petitorio.

4. *Cum super*.—Idem dicit, quoad intellectum, quod dicit caput proximum.

5. *Pastoralis*.—Qui agit de proprietate, ante conclusionem causæ possessorio adipiscendæ, vel recuperandæ agere potest: post conclusionem verò, et ante sententiam hoc non potest, nisi justa causa subsit.

6. *Cum dilectus*.—Si petitorio et possessorio simul est actum, una sententia terminatur et præmittitur possessorium in terminando; sed in exequendo prævalet petitorium.

7. *Cum olim*.—Adjudicatur illi beneficium, qui probavit collatorem suum fuisse in possessione conferendi collationis tempore; per hoc tamen non prohibetur succumbens agere de proprietate juris conferendi cum ipso collatore.

4 Greg. IX.
U. Greg. IX.
1 Gregor. Mag. Felici in Sicilia
2 Cœlest. III.
5 Innoc. III. Archiep. et Canon. Sutrin.

4 Idem Canon. Bethelchem.
5 Idem Ep. Noviom.
6 Idem Ep. S. Andreæ Ab. de Berch. T. Prior R. Archid. et Magist. L. Offic. S. Andreæ.
7 Idem Veron. Ep.